



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

72. De Origine nominis Brabantiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

sem, Heusdensem, Insulas Bommelanam, Tielensem, quæ modo partim Hollandici, partim Geldrici iuris sunt.

DISSERTATIO LXXII.

De Origine nominis Brabantia.

Brabantia vox quo ad molliorem illam pronuntiationem nostris Apostolis non fuit in usu. Antiquitus audiebatur Bratuspantium, pagus Brabantensis, Brachbantum, &c. Sed an eo modo illis innotuerit, probari non potest. Molanus in præfatione ad libellum de sacra militia Ducum Brabantia indicat nomen Brachbantum serius esse nomine Lotharingia, quod demum enatum est post annum 855: Dum enim Brabantiam Austrasiam & Lotharingiam olim dictam asseuerasset, adiungit: *Postquam Lotharingia tota inferior aut magnacius portio Bratuspantium & terra Brabantensis & Brabantia dici cepit, Lotharingia Duces qui se secundo loco aut Comites aut Duces vocabant Louanienses, illius loco tituli se Brabantia Duces scribebant.* Idem insinuat Louvius in annotationibus ad eundem Molanum initio: *Solet vero, inquit, magna huius Ducatus (Lotharingici scilicet) portio à media ætatis scriptoribus dici Bratuspantium, Brachbantum, pagus Brabantensis & incola Bratuspantiij, Brachbantiones, Brachbantenses, postea molliori nomenclatura dicti sunt Brabantii & Brabantini, ipsa vero ditio Brabantia.*

S. Willibrordus in testamento suo edito à F. Scribanio in Antuerpia aliquot loca Brabantia (modernam hic semper intelligo) consignat in pago Taxandria; Bratuspantiij autem, Brachbanti aut Brabantia non meminit: sicut

ti nec Rohingus Antuerpiensium Princeps in litteris donationis S. Willibrordo factę quas ex peruetusto Abbatię Epternacensis codice fideliter depromsit Aubertus Miręus in Fastis Burgundicis ad 7. Nouembris. Quod autem Brabantiam ante Pipinos aliqui à Brabonibus deriuant, omnibus Doctis displicet & vt fabula exploditur. Insuper pagus Brachbantensis (quocumque tempore emerferit) modicum Brabantię complectebatur, in agro forsan Louaniensi aut vicinijs versus Flandriam & Mosam; totus fere erat in Flandria Tornaci vsque męnia, in Hannonia, Cameraco. Brabantia pęne integra nominabatur Pago Taxandrię, Pago Rhienfi, Pago Hasbanię, quod liquet partim ex citatis, partim ex diplomate Othonis 2. Augusti anno 976. confirmatiuo possessionum monasterij Gandensis apud Doufam. lib. 8. Annal. Holl. Miręum lib. 2. Donat. Belgica: in quo Pagus Brachbantensis distinguitur à Pagis Taxandrię, Rhienfi, Hasbanienfi, tamquā diuersis regionibus: sub Pago Tessandrię (Taxandrię) extra Brachbantensem, ponuntur *Portbreue* (*Portwink*) *Edinghem* (*Idyem* :) in Pago Rhienfi *Bouckholt*, vici hodie in Brabantia notissimi, Loca vero quę numerantur in Brachbantēsi, extra Brabantiam reperiuntur, Quare recentioris nascentię existimo Brachbantum, Brabantiā &c. quā quod Apostolorū nostrorū æuo & stylo tribuatur. Quinimò etsi admittamus Brachbantum, Pagum Brachbantensē &c. Willibrordi sæculo existisse, dicendum tamen nō est illum Brachbantū visitasse, docuisse, cum solum eum nostrę Brabantię tractum doctrina illustrarit, quę tum Taxandrię, Pagi Rhienfi & Hasbanienfi nomine gaudebat. Quod à fortiori asseretur, si sentiamus cum Lindano in Teneramundā vetus Brachbantum extra hodiernam Brabantiam pęnitus fuisse.

DISSERT.